

2.<sup>o</sup> *Utrum vi ejusdem resolutionis item prohibitum sit, impertiri pluries, infirmo in iisdem circumstantiis ac supra constituto, Indulgentiam Plenariam in articulo mortis a pluribus Sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite habentibus ratione aggregationis Confraternitati Sanctissimi Rosarii, S. Scapularis de Monte Carmelo, Sanctissimae Trinitatis etc.?*

Sac. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita postquam in generalibus comitiis habitis die 5 Martii 1855 apud Aedes Vaticanas votum Consultoris super praefatis dubiis audisset, ac per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium die 12 ejusdem mensis Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX de omnibus relatione peracta, respondit « Ad primum et ad secundum » Negative, firma remanente resolutione Valentinen. sub die 5 Februarii 1841. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congr. Indulg. die 12 Martii 1855.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
A. Colombo Secret.

DCXLVII.

VERDUNEN.

Enixis precibus Verdunensis Episcopus huic Sac. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae exposuerat, quod hactenus Coronae deprecatoriae, Numismata sacra, Cruces antequam tali vel tali personae distribuantur, in globo benedicantur cum applicatione Indulgentiarum a Sacerdotibus qui hujusmodi facultatem a S. Sede impetraverunt; et exinde quaerebat, utrum valida sit benedictio, ita ut Indulgentias praedictas adnexas possit quisque lucrari. Proposito itaque dubio in generali Eminentissimorum Patrum Conventu in Palatio Apostolico Vaticano die 5 Martii 1855 habito, Sacra Congregatio, votum Consultoris audito, respondit « Affirmative »; et facta per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX relatione in Audientia diei 12 ejusdem mensis, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis die 12 Martii 1855.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
A. Colombo Secret.

DCXLVIII.

MASSILIEN.

*Ex parte Clarissarum Civitatis Massiliensis in Gallia humillime exponuntur sequentia dubia.*

*Ferraris (Biblioth. Canon. Verbo Indulg.) « Ex Concessione Leonis X Clarissae possunt consequi plenariam absolutio- nem et Indulgentiam, ac insuper Papalem Benedictionem, quatuor in anno diebus quibus maluerint, et traditur formula »*

*Confiteor etc. Mesereatur etc. Indulgentiam etc. « Dominus Noster Jesu Christus per merita suae Sanctissimae Passionis vos absolvat, et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius et BB. Apostolorum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini Nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa absolvo vos ab omni vinculo Excommunicationis majoris vel minoris et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium nec non Sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et regulae, Constitutionum, Ordinationum majorum nostrorum, ab omnibus poenitentiis oblitis seu etiam neglectis, et ab omnibus peccatis vestris, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia vel malitia deliquistis, concedens vobis remissionem et Indulgentiam Plenariam omnium peccatorum vestrorum confessorum, et etiam cunctorum de quibus non recordamini aut oblitae fuistis, in quantum claves Ecclesiae se extendunt, et restituo vos illi innocentiae in qua eratis, quando baptizatae fuistis, et quomodo Sanctitas Domini Nostri N. Papae faceret, si Ipsemet in confessione peccata vestra auscultasset etc. ac eadem auctoritate Apostolica Benedictionem Papalem vobis Impertior. In nomine*



*Patris etc. Deinde injungitur poenitentia. Ite in pace et gratia Dei, et orate pro me.*

*Item ex concessione ejusdem Leonis X possunt consequi Plenariam Absolutionem et Indulgentiam in omnibus Solemnitatibus, seu festis Domini Sabaoth, et B. M. V. omniumque Sanctorum et Apostolorum Petri et Pauli, ac S. Patris Francisci, et S. Clarae, et per totam majorem hebdomadam, et insuper in festo S. Catharinae V. et M. et traditur formula.*

*(Haec formula eadem est ac prior, excepto quod terminetur ad haec verba: Baptizati fuistis).*

*De quibus enixe quaeritur.*

1.<sup>o</sup> *An gratiae praedictae sint adhuc adnexae his formulis: non obstante Bulla Pauli V de Indulgentiis Regularium?*

2.<sup>o</sup> *An retineri vel introduci possit usus illas impertiendi?*

3.<sup>o</sup> *An per festa Domini Sabaoth, intelligendae sunt: Nativitas, Circumcisio, Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes, et etiam festum Trinitatis, et Corporis Christi?*

4.<sup>o</sup> *An per festa B. Mariae V. intelligenda sunt: Purificatio, Annuntiatio, Assumptio, Nativitas, Praesentatio, et Conceptio?*

5.<sup>o</sup> *Quia de priori formula dicitur, quod debeat recipi de consensu Confessarii, an sufficiat, ut Abbatissa illum ab eo expostulet, quibusdam diebus ante nomine sororum?*

6.<sup>o</sup> *An Confessarius, et Cappellanus qui non esset Confessarius, possint illas impertire ex delegatione Ordinarii, cui Clarissae subjiuntur?*

Cum ex parte Clarissarum Civitatis Massiliensis proposita fuissent supraenunciata dubia huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi, Eminentissimi Patres in generalibus Comitiis habitis in Apostolico Palatio Vaticano quinta die Martii currentis anni, audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis, respondendum esse duxerunt, ut infra.

Ad primum « Affirmative, excepta Indulgentia Plenaria pro vivis ».

Ad secundum « Affirmative juxta modum ut in prima ».

Ad tertium « Affirmative juxta consuetudinem ».

Ad quartum « Affirmative juxta consuetudinem ».

Ad quintum « Affirmative ».

Ad sextum « Affirmative ».

Cum vero de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX a me subscripto ejusdem Sac. Congregationis Secretario facta fuisset relatio in Audientia diei 12 ipsius Martii, Sanctitas Sua praefatas Eminentissimorum Patrum resolutiones benigne approbavit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis Indulg. die 12 Martii 1855.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCXLIX.

VERONEN.

Episcopus Veronensis cum Sacrae Congregationi Indulgentiarum dubia ut infra enodanda proposuisset, nempe.

1.<sup>o</sup> *Utrum privilegium Clementis XIII quod qui assolent confiteri semel saltem in hebdomada possint lucrari Indulgentias Plenarias infra hebdomadam occurrentes, cum sola communionem quamvis in Brevi Apostolico Confessio praescripta sit, valeat et extendatur etiam pro lucranda Indulgentia vulgo de Portiuncula die 2 Augusti?*

2.<sup>o</sup> *Utrum praefatum privilegium suffragetur etiam illis qui non assolent confiteri semel saltem in hebdomada, sed rarius: attamen confessi sunt intra hebdomadam ante festivitatem, cui est adnexa Indulgentia?*

3.<sup>o</sup> *Utrum Confessio hebdomadalis valeat etiam pro lucranda Indulgentia in forma Jubilaei, et extendatur Decretum Clementis PP. XIII Veronae, idest qui saepius assolent confiteri, possint lucrari Indulgentiam etiamsi confessio non sit hebdomadalis?*

Eminentissimi Patres in generalibus Comitiis apud Vaticanas Aedes quinta die Martii ineuntis anni habitis, praecedentibus



hujus Sacrae Congregationis Decretis rite perpensis, votoque Consultoris audito, respondendum esse censuerunt.

Ad primum « Affirmative ».

Ad secundum « Negative ».

Ad tertium « Negative ad primam partem; non expedire ad secundam ».

Facta demum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium relatione in Audientia diei 12 ejusdem mensis, Sanctitas Sua praefatas resolutiones benigne approbavit.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 12 Martii 1855.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
A. Colombo Secret.

DCL.

DITIONIS BELGICAE

*Jacobus Ludovicus Levasseur Missionarius Apostolicus Praepositus Generalis Societatis Presbyterorum Misericordiae sub titulo Beatae Mariae in Conceptione sua Immaculata ad S. V. pedes provolutus humillime exponit duplex dubium circa usum facultatis sibi suisque concessae quoad erectionem Stationum Viae Crucis, nempe.*

1.<sup>o</sup> *Cum in Rescripto enunciatur facultas erigendi Stationes in publicis Ecclesiis dubium exortum est, utrum his verbis in publicis Ecclesiis, excludantur Ecclesiae seu Oratoria Hospitiorum, Seminariorum, Communitatum, Institutionum etc. quae ad usum tantum personarum intra septa illa degentium aedificata sunt, et publico usui exterorum nonnisi quandoque et per accidens inserviunt?*

2.<sup>o</sup> *Dubitatur etiam utrum exigendum sit in unaquaque Dioecesi exemplar authenticum praedictae facultatis a S. Sede concessae, quod ab Episcopo de scripto cognoscatur, an vero sufficiat testimonium Praepositi Generalis mentionem faciens Rescripti de quo supra, ut possit Episcopus licentiam dare Presbyteris*

*Societatis erigendi Stationes, servatis de caetero reliquis conditionibus a SS. Pontificibus praescriptis. Duplex illud dubium magni momenti videtur, sive ob validitatem erectionum quae multis ab hinc annis factae sunt, sive in posterum providentur.*

Propositis supraenunciatis duobus dubiis in Sacra Congregatione Indulgentiarum die 5 Martii currentis anni apud Vaticanas Aedes habita, Eminentissimi Patres, voto Consultoris audito, respondendum esse duxerunt « Ad primum » Facultatem erigendi Stationes in publicis Ecclesiis, de qua in Rescripto intelligendam esse etiam pro Oratoriis auctoritate Episcopi institutis, et per viam publicam ingressum habentibus « Ad secundum » Provisum per Regulas generales ». Et facta de his Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX per me subscriptum Sac. Congregationis Secretarium relatione in Audientia diei 12 ejusdem mensis, Sanctitas Sua Eminentissimorum Patrum resolutiones benigne approbavit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 12 Martii 1855.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
A. Colombo Secret.

DCLXI.

VERONEN.

Joannes Baptista Biadego Cancellarii Episcopalis munere fungens in Civitate et Dioecesi Veronensi huic Sacrae Indulg. Congregationi proposuit dubia ut infra.

1.<sup>o</sup> *Se una Messa celebrata ad un Altare Privilegiato sia per se privilegiata, o sia necessario che o l'offerente la limosina, o il Sacerdote intenda di applicare il privilegio?*

2.<sup>o</sup> *Se in die obitus, tertii, trigesimi, et anniversarii la Messa di Requiem cantata pro aliquo defuncto sia privilegiata?*

Eadem Sacra Congregatio in generalibus Comitibus habitis in Palatio Apostolico Vaticano die 5 Martii ineuntis anni, audito prius Consultoris voto, respondendum esse duxit.

Ad primum « Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam ».



Ad secundum « Negative ».

Et facta de his omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX relatione in Audientia diei 12 ejusdem mensis, Sanctitas Sua resolutiones Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Datum Romae ex Secretaria ipsius Sac. Congregationis Indulgentiarum die 12 Martii 1855.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
A. Colombo Secret.

DCLII.

M E L D E N.

Ab hac Sacra Indulgentiarum Congregatione sequentium dubiorum solutionem postulabat Ludovicus Renard majoris Seminarii Meldensis Moderator.

1.<sup>o</sup> *An ad lucranda Indulgentiam, vel fructus orationis « Sacrosanctae » necessario flexis genibus haec oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo, recitari valeat?*

2.<sup>o</sup> *An parvi habitus seu Scapularia sint necessario immediate super corpus deferendi ita ut illud physice tangant, vel an super vestes retineri possint?*

3.<sup>o</sup> *An Indulgentiae adnexae ad recitationem parvi Officii B. M. V. a san. me. Pio V valeant pro solo Officio Romano, vel an etiam pro variis Officiis B. M. V. ab auctoritate episcopali compositis ad instar Officii Romani?*

4.<sup>o</sup> *Qui recitat hymnum «Veni Creator etc.» non juxta correctionem metri, sed juxta pristinum metrum, lucraturne Indulgentias? Doxologiae (hymni Veni Creator etc.) variatio intra Tempus Paschale et extra de essentia estne operis ad lucrandas Indulgentias? In Galliis hymn. Veni Creator etc. Doxol. ab auctoritate episcopali proposita, qui praedictum Hymnum recitant cum ista Doxologia valentne suas illius facere Indulgentias?*

5.<sup>o</sup> *Antiphona « Regina Coeli etc. » quae dici solet tempore paschali loco precum « Angelus Domini etc. » recitatur in aliquibus locis cum Versiculo et Respons. diversis ab illis quae dantur in Breviario Romano: an recitatio praedictae Antiphonae cum ista commutatione jus dat aequale ad Indulgentias?*

Quibus dubiis ab Eminentissimis Patribus Sacris Indulgentiis praepositis, in generali Congregatione apud Vaticanum die quinta Martii 1855 habita, mature perpensis, votoque Consultoris audito, fuerunt in voto rescribendum esse.

Ad primum « Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam ».

Ad secundum « Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam ».

Ad tertium « Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam ».

Ad quartum « Negative in omnibus ».

Ad quintum « Negative ».

Factaque de omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX per me infrascriptum Secretarium relatione in Audientia diei 12 ejusdem mensis, Sanctitas Sua Sac. Congregationis votum benigne approbavit. In Audientia autem Sanctissimi diei 26 Julii praedicti anni habita a subscripto Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua ex speciali gratia clementer indulsit, ut Oratio Sacrosanctae etc. pro lucranda Indulgentia a Leone X adnexa, seu fructu dictae Orationis, etiam non flexis genibus recitari possit ab iis qui legitime impediti fuerint infirmitatis tantum causa. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria praefatae Sac. Congregationis die 26 Julii 1855.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
A. Colombo Secret.

DCLIII.

T U R R I T A N.

Quamvis in tota Sardiniae ditione ac praesertim in Turrilitana Provincia singularis semper effulserit Christifidelium devotio er-



ga Patronos suos, Sanctos, scilicet Gavinum, Protum, ac Januarium, quorum corpora, sicut ecclesiastica monumenta testantur a Christianis Incolis in Ecclesia eorum nomine consecrata, collocata fuerunt, id unum tantum supererat ad eandem fidelium in ipsos Martyres religionem augendam, quod nempe ex incerto ejusdem Ecclesiae loco praefatorum Sanctorum Martyrum sacra Lypsana invenirentur. Modernus itaque Turritanus Antistes R. P. D. Alexander Dominicus Varesini, quod erat in votis feliciter absolvit; vertente enim anno salutis millesimo octingentesimo quadragésimo octavo, effossis loculis sub inferioris sacelli Altare, quod extat in insigni ac pervetusta Turritana Basilica eisdem Sanctis Martyribus dicata, ac servatis omnibus rite servandis juxta praescripta tum a Sacra Tridentina Synodo, tum a Decretis hujus Sacrae Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum Congregationis, eorundem Sanctorum Corpora proprio uniuscujusque nomine distincta invenit, eaque inventa authentice recognovit, prout ex authentico Processu huic Sac. Congregationi exhibito satis superque colligitur. Quapropter eadem Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praememoratum Processum approbavit, atque in Actis ejusdem Sac. Congregationis referri mandavit. Datum Romae ex Secretaria praefatae Sacrae Congregationis die 28 Novembris 1855.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
*Aloisius Archipr. Prinzivalli Substit.*

DCLIV.

URBIS ET ORBIS

Cum Sacrae huic Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae in una Melden inter alia exhibitum fuisset dubium enodandum « *An ad lucrandam Indulgentiam vel fructum orationis* » Sacrosanctae et Individuae etc. *necessario flexis genibus haec oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo recitari valeat?* » Eminentissimi Patres in generalibus Comitibus die 5 Martii superioris anni apud Vaticanas Aedes habitis respondendum esse duxerunt. »

*Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam* ». Facta itaque Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX relatione per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium die 12 ejusdem mensis, Sanctitas Sua votum Eminentissimorum Patrum approbavit. In Audientia vero Sanctissimi die 26 Julii ejusdem anni ab Eminentissimo Cardinali Sac. Congregationis Praefecto habita, Eadem Sanctitas Sua ex speciali gratia clementer indulgit, ut Oratio *Sacrosanctae* etc. pro lucranda Indulgentia a sa. me. Leone PP. X adnexa, seu fructu dictae orationis, *etiam non flexis genibus recitari possit ab iis, qui legitime impediti fuerint infirmitatis tantum causa*. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione; non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis Indulg. die 7 Januarii 1856.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
*A. Colombo Secret.*

DCLV.

Cum piorum operum ac precum Collectionem, quibus ex generalibus Summorum Pontificum largitionibus Indulgentiae sunt adnexae jam Romae pro decimatertia vice in lucem editam Sacerdos Aloisius Pallard in gallicum idioma vertisset, enixis precibus rogabat, ut ab hac Sacra Indulgentiarum Congregatione hujusmodi versio approbaretur, ita ut typis quoque mandari posset; Sacra Eadem Congregatio, attenta revisione unius ex suis Consultoribus, non modo approbandam, atque authenticam recognoscendam esse duxit, verum etiam typis imprimi ac publicari posse permisit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congreg. Indulg. die 28 Martii 1856.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.  
*Pro R. P. D. A. Colombo Secret.*  
*A. Archipr. Prinzivalli Substitutus.*